

isti ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu calcaverunt. Erunt tunc vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fecunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace, et tamen cum in seipsa floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat. » Talis etiam S. Monica, quæ cum infirmaretur, mori cupiens, filio Augustino dixit: *Filii quantum ad me attinet, nulla re jam delector, in hac vita, quid hic facio?* Sicque placidissimam spiritum reddidit, apud August. in confes. l. IX. c. X. Si tu Christiane ita comparatus fueris, ausim tibi polliceri bonam, placidamque mortem.

II. Si bonam habueris conscientiam, post exactam disquisitionem. Ita enim docet Salomon, Prov. XXVIII. cum ait: *Fugit impius nemine persequente: justus autem quasi leo considens absque pavore erit.* Aristoteles, l. V. animal. c. I. scribit: « Leo in venatu dum cernitur, nunquam fugit aut metuit: sed etiamsi venantium multitudini cedere aliquando cogitur, sensim pedetentimque discedit, crebro subsistens atque respectans. » Eodem modo justus, cum in mortis periculo quasi in venatu est et a canibus infernalibus allatratur, non tamen fugit aut metuit; quia instar leonis fortissimum caput habet, Christum sibi per gratiam presentem; novit etiam vires suas: et cedit quidem mortis viribus, sed e vita non tam fugit, quam sensim se subducit. Ita S. Ambrosius ad suos cives lectum ejus circumstantes moriens dixit: *Non ita inter vos vixi, ut mori me pudeat, sed nec mori timo quia bonum Dominum habemus.* Ita Costerius, in ejus vita. En tibi leonis hujus caput forte, quia bonum Dominum habemus. Leo dormit apertis oculis, quasi in somno etiam cernat et adversarios terreat. Talis erat S. Paulus cum Act. XII. in concilio sacerdotum sibi infensorum velut inter latrantes canes vinculus stans, se defendit. Ait enim: *Ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem.* Et hoc dixit: *Intendens in concilium,* ait S. Lucas, seu ut sonat vox Græca *atenisas*, h. e. *fixis oculis intuens*, q. d. animo intrepido; qui enim sibi timent, oculos demittunt, nec intueri fixo possunt oculo judices. Bona igitur conscientia sic animavit Paulum, ut judices mortem sibi machinantes nulla ratione timeret. Idem videre est in S. Petro, qui vinculus in carcere, et postredie educendus ad supplicium ab Herode, ea nocte suaviter dormivit, et tam profundo somno, ut angelus non nisi percusso ejus latere excitare eum potuerit, Act. XII. *Alte namque dormiebat,* ait S. Chrysostom. *nec arbitror, quod angelus eum percussisset, si voce excitare potuisset.* Non dubi-

tandum idem evenire aliis, qui bona pollent conscientia, ut nimirum suaviter obdormiant, et hostem illum tartareum, etiamsi forsitan tempora mortis compareat, nihil metuant, sed potius cum S. Martino jam mortuo objurgent: *Quid hic adstas cruenta bestia? Nihil in me funesti reperies.*

III. Si mortis horam et doloris sæpius prægustes, ac si fieri potest, cum apostolo quotidie moriaris, præcogitando mortem. Hoc est, quod monet Christus in parabola decem virginum, cum ait eas *obviam visse sponso*: et rursum quando *clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Qui enim obviam alicui, non vult expectare adventum ejus, sed prius ad ipsum ire. Unde auctor op. imperf. in eum locum hom. LII. sic scribit: « Sicut qui obviam vadit alicui, in via stat et expectat eum quamdiu veniat: ita qui credit in Christum, sic debet vivere in hoc sæculo quasi peregrinus: et non in suis, sed in transitu positus. Propterea et Judæi exituri de Ægypto, expediti et præcincti agnum jussi sunt manducare, et ad exeundum parati, ostendentes nobis, quomodo quicumque nostri agni eucharistiam manducant, ita debent semper esse expediti, quasi quotidie exituri de mundo. » Jam qui intrepidus hosti obviam, pavorem ei injectit: qui vero eum fugit, audaciam illi præbet. Miro modo hoc designavit Jonathas, quando ex improvise invasurus stationem Philistinorum, ad armigerum suum dixit: *Si taliter locuti fuerint ad nos: Manete donec veniamus ad vos; stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint: Ascendite ad nos; ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris,* l. Reg. XIV. Atque, ut dixit, evenit. Provocatus enim ad ascensum Jonathas, ascendit et percussit eos. Philisthæi exponuntur conspersi cinere. Statio ergo Philistinorum statio mortis est, ubi in cinere omnia consistunt. Hæsi tibi in corde tuo dixerit: *Mane, donec veniam ad te, ede, bibe, lude, securus esto, satis erit de morte cogitare, quando ea venerit,* malum hoc signum est; obrueris enim a morte, et misere opprimeris. De talibus enim dicitur: *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes,* Psal. LIV. *Quomodo viventes?* Quia prius per mortis præcisionem mori noluerunt. At si dixerit: *Ascende ad mortem, obviam ei perge, para te ad moriendum quotidie: faustum erit signum.* Hosti enim cor et vires adimes, eumque nullo negotio superabis. Ita Christus Dominus, quando suis hostibus in Oliveto obviam ivit, uno verbo omnes consernavit, et ad terram allisit. Propterea etiam Christus, antequam ibi obviam eis, prius frequenter illuc convenerat cum discipulis suis, ut illi

S. Joannes, c. XVIII. quasi ad stadium pugnae, ut eos exereret, et ad pugnam animaret. Ita solent equi ad hastiludium agitari, prius in hippodromum duci, ut propositam sibi statuam seu larvam crebro aspectu discant non horrere, et refugere. Tunc enim nihil amplius terri, ad oppositam sibi larvam currunt. Idem accidit iis, qui se in meditatione mortis frequenter exercent. De militiae Romanæ tyronibus scribit Vegetius, lib. I. c. XVIII. « Equi lignei hieme sub tecto, æstate ponebantur in campo. Super hoc juniores primo inermes, dum consuetudine proficerent, demum armati cogeantur ascendere; hoc enim assidua meditatione faciebant, scilicet ut in tumultibus prælii sine mora ascenderent, qui tam studiose exercebantur in pace. » Nullus est tam tumultuosus atque periculosus, quam supremus cum morte conflictus, ibi et mortis et judicis timor, et conscientie remorsus, et vitæ amor, et morbi dolores, aliæque miseriæ morientem impugnant. Ibi in *equum mortis pallidum* (qui visus Joanni in Apocal. cap. VI. visus est, cui *insidebat mors*) insilire oportebit. Et quis hoc in eo tumultu commode præstabit, qui in tali meditatione se prius non exercuit? Illi vero milites, qui paci tempore cogitarunt quæ sunt belli, et ad hunc ascensum se probe assuefecerunt, non difficile id efficiunt. Hujusmodi miles fuit inter alios B. Godefridus ex comite Copenbergensi monachus Præmonstratensis, qui: « Frequenter sociis in itinere quolibet residendo pausatibus, ipse, quemadmodum in exequiis mortuorum membra componi solent, manus et brachia sua composuit supinus, dicens clamore intimo gemituque vehementissimo: O si veniat hora illa nostri transitus! O si ad hanc horam aptare et præparare me digneris Domine Deus meus! » Sic effectus ut venientem mortem magna confidentia intrepidus, imo vehementer exultans exciperet, fratrem suum germanum morientem verbis his consolans: « Idcirco mi frater universa propter Deum abdicavimus, quia nos ad hujus horæ necessitatem perventuros, hoc est morituros certissime noveramus, præoptantes atque satagentes, ne hujus non procella discriminis obruat imparatos. Amplectamur ergo hanc a corpore peregrinationem, faciamus de necessitate virtutem, gaudentes et gratias agentes quod de labore ad requiem, de miseria ad beatitudinem transmigramus. » Ita in ejus vita, apud Sur. 13. jan.

IV. Denique si bene vixeris, bene etiam et placide morieris. Ita enim Sapiens testatur: *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.* De injustis vero subjicit: *Na-*

tionis iniquæ, diræ sunt consummationes, Sap. III. Quale corpus, talis umbra. Umbra asini representat asinum, hominis hominem. Vivis ut asinus? Morieris ut asinus. Vivis ut homo? Morieris ut homo. *Vita in deliciis agens,* inquit S. Bern. serm. XLVIII. in cant. *et mors est, et umbra mortis.* Ferunt philosophum quemdam forum nundinariorum lustrasse, et inter jumenta venalia quævisisse asinum, qui pulchram equi caudam haberet: sed derisus a nundinatoribus audit: *Stulta est inquisitio tua.* Tum philosophus: *Stulti estis vos, qui post bestialem et asinam vitam, pulchram et speciosam mortem expectatis.* Refert Fr. Labara, in apparatu con. tom. II. v. Mors. Sic factum Jechoniæ, degeneri optimi patris Josiæ filio, qui librum legis, cujus lectione pater ingemuit et lacrymas fudit, scidit et in ignem abjecit; a Nabuchodonosore occisus et insepultus est abjectus, uti prædixerat ei Jeremias, c. XXII. *Sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem.* E contra Elias, quia zelo honoris divini plenus surrexit quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat, ut dicitur Eccl. XLVIII. idcirco is curru igneo et equis igneis avectus est e mundo, IV. Reg. II. Summa, qualis vox in silvam emittitur, talis reverberat, echo. Qualis vita, talis mors. Desipuit igitur Balaam ille, qui optavit bene mori, elegit interim male vivere.

Jam vero ex hoc discursu colligimus defunctum nostrum felici morte vitam quam pie et honeste vixit clausisse; adeoque etiam confirmamur in sententia nostra, quando advertimus eum placide quoque, et cum opima spe salutis animam Deo creatori suo commendasse, etc.

CONCIO XXIX.

TRIPLEX AD MORTEM DISPOSITIO.

THEMA.

Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives.
Isaiæ XXXVIII.

Inter alia Pythagoræ symbolica et sapientia monita celebratur etiam illud: *In poculi fundo residuum non relinque.* Mea sententia ad litteram, quia residuum illud tetro quodam odore poculum imbuit, et bibentibus inde nauseam parit, sed videtur sapiens ille philosophus altiori sensu doctrinam hanc intellexisse, nimirum, ut in fine vitæ nostræ nihil relinquamus, quod aliis parere fastidium, nobis vero tetrum aspergere nominis

odorem possit. Quod sane fit, si quis rebus et facultatibus suis male dispositis ex hac vita discedat. Quid vitæ hujus usura, nisi haustus unus ex poculo mundi est? In hoc ergo nihil remanere debet, quod sit offendiculo. Et propterea Deus regi Ezechie misit Isaiam prophetam, qui diceret ei: *Dispone domui tuæ, quia morieris, et non vives*, Isaiæ XXXVIII. q. d. nihil relinquant in domo tua indispositum, ex quo posterius tui offendi queant, et nomen tuum laboret. Jam vero si hoc regi dicitur, qui nulli hominum erat subiectus, adeoque neminem quem timeret, habebat, sive ab intestato, sive testatus moreretur, quanto magis hoc sibi dictum existimabit alius quisque legibus subiectus, certe qui turbatis rebus suis ex hac vita abit, non modo posteros affligit, sed propterea etiam animam suam non levi pondere premit. Itaque videamus cui domui, et quomodo disponendum sit ante mortem. Triplex potissimum hominis christiani domus est. Prima spiritualis et interna, conscientia, in qua solus ipse habitat una cum operibus suis, sive bene sive male gestis. Altera materialis et artefacta, in qua habitat cum familia sua. Tertia est celestis, in qua se habitaturum sperat cum electis. Omnibus his disponendum est: ac

I. Conscientiæ propriæ, ut in ea bene omnia sint composita et ad Deum ordinata. Dæmoniacus ille apud Gerasenos, Luc. VIII. in domo non manebat, sed in monumentis; quia ut exponit S. Aug. l. II. quæst. evang. c. III. *Homo improbus in conscientia sua non requiescit*. Nam conscientia, omnis expers mortiferi sceleris, domus est ex Augustini sententia, in qua vir justus magna eum quiete quiescit. Hæc igitur ante omnia ad pacem componenda est priusquam moriaris. Et sane hæc non solum prima, sed et unica cura fuit Ezechie, ut pacem haberet in conscientia sua. Intellecto enim mortis nuntio, convertit faciem ad parietem et oravit ad Dominum: moxque perlustrans incolas conscientiæ, opera sua: *Domine memento quæso, quomodo ambulaverim coram te*. Hæc etiam sola et maxima cura fuit conversi latronis ut peccatorum suorum veniam obtineret cum oravit: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*. Quæ verba notans S. Aug. ser. CXIX. ait: « Quam cito eum replevit Spiritus s. eruditio per quam futuri examinis diem cogitans, etsi intolerabile probat esse quod sentit, gravius tamen intelligit esse, quod metuit. » Non attendit ad dolores, non petit liberationem a cruce: solum de altero sæculo sollicitus erat, quomodo appareret coram iudice Deo. Idem fecit Achab quantumvis perversus cum audiit ab Elia latam in ipsum mortis sen-

tentiam: *Scidit vestimenta sua, et operuit cilicium carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco et ambulavit demisso capite*. Sicque placavit iratum sibi Deum, III. Reg. XXI. Non dissimili arte effugit mortem Dionysius tyrannus: cum enim mercenarii quidam eum circumvenissent ut interficerent; ille miserabili veste amictus prodiit, comamque pulvere aspersit, et potestati mulierum suam vitam commisit: illi autem flexi sordidati regis aspectu salvum et incolumem dimiserunt, sic legimus in Pol. l. V. Multo magis inveniet gratiam apud Deum, qui per seriam pœnitentiam, et sui abjectionem ante mortem ad Deum recurrit, et conscientiam suam a peccatis expurgat. Quod etiam fecerunt viri etiam optimæ vitæ, quia existimabant se fundum domus non satis perspectum habere. Ita S. Aug. æger decumbens psalmos pœnitentiæ præscribi sibi in conclavi iussit, et continuo eos cum lacrymis perlegit, asserit sine pœnitentia neminem, quamvis nullius sceleris conscius quis esset, migrare ex hac vita debere. Præterea cum ægrotabat, neminem ad se præter medicum admisit, ut solus cum Deo ageret. Ut est in ejus vita apud Paulin. Cui addamus Ferdinandum Castellæ et Legionis regem, qui anno 1605. sentiens se deficere, deferri ad ecclesiam regio ornata petiit, ibique flexis genibus regnum Deo resignavit, exuens regalem chlamydem, deponens gemmatam coronam: et pro chlamyde induit cilicium, pro diademate aspersit se cinere, sicque biduo ante altare vitalem egit pœnitentiam, tandemque inter manus episcoporum tradidit spiritum. Bar. anno. 1605. ex Luca Tudensi.

II. Domui materiali seu familiæ. Eo namque ad litteram spectabat admonitio Ezechie; et tangit omnes, qui temporalia fortunæ bona sibi ad dispensandum a Deo commissa acceperunt, ut reddant unicuique quod suum, certi alioquin reddendam sibi apud Deum rationem, si quem defraudarint, vel inter hæredes suas neglectu dispositionis discordias seminarint. Hac sedulitate lustravit domum suam senior Tobias, quando audiens in domo sua balantem hædum, mox interrogavit, undenam venisset? *Videte*, inquit, *ne forte furtivus sit, reddite eum dominis suis*, Tob. II. Quare imprimis curet quisque, exsolvere, si quæ habet debita, ne cum servo illo debitore: « Conjiatur in vincula, donec reddat novissimum quadrantem. Si res aliena propter quam peccatum est, reddi possit, et non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; si ut dixi, restitui potest, »

ait D. Aug. LIV. ad Maced. Talis enim, quia avaritia victus non restituit, non est dispositus ad capiendam gratiam. Exemplo hoc illustrat Cæsarius, l. XI. c. XXV. dum refert monachum quemdam, qui nautæ, a quo per Albim Saxonie flumen transvectus fuerat, promissum naulum, dimidium denarium reddere neglexerat, post mortem ab ingressu cæli impeditum fuisse; eo quod naulum illud adeo crevisse ei videretur, ut mundo majus appareret, adeoque sursum tendenti obsideret. Socrates, in hist. trip. l. I. c. X. scribit Spiridioni Tremithuntis Cypriorum episcopo fuisse filiam Irenen, cujus notus quidam depositum aliquando crediderat. Illa sumens depositum, sub terra recondidit; ubi caute custodiendum existimavit. Contingit interea mori puellam nihil ea de re patri confessam. Venit homo depositum repens. Quod cum Spiridion nusquam invenisset, perrexit tandem ad sepulcrum puellæ, eamque interrogavit, an, et ubi depositum deposuisset. Annuit illa, et indicavit locum. Sic repertum est depositum; et suo domino restitutum. Tanti est hæc res, ut etiam defuncti ad jus hoc evocati comparere debuerint. Quod etiam de Petro a Sancto Stanislao ad vitam revocato refertur in ejus vita, necnon de Euphrosyna, quæ Donato episcopo ex sepulero respondit ubi fisci pecuniam Euphrasio marito concredita abdidisset, apud Adonem Trevirensis in martyrol. 7. idus Aug. Taceo periculum, quod imminet hæredibus, si injusta bona eis relinquuntur, ipsis saltem scientibus. Hinc enim damnatum se asseruit mater B. Mariæ de Oignies, filiæ apparens: *Enutrita*, ait, *fui, et vixi in his, quæ per injusta mercimonia et usuræ acquisita fuerunt et conscia mihi mala ablata non restitui*. Refert. Thomas Cantipr. l. II. apum, c. XLVI. Deinde attendat, ut inter hæredes ita sua distribuatur, ne discordiæ oriantur et maledicta in testatorem conjiciantur. Meminerit Christum ad mortem pergentem dixisse ad suos: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Quam ob causam IV. Reg. XX. dixit Isaias Ezechie: *Præcipe domui tuæ*; pro qua Isa. XXXVIII. legitur: *Dispone domui tuæ*. Quia enim morte intestati consequuntur ut plurimum dissidia et incommoda multa, potest testatus ea præseindere si præcipere suis pacem velit. Præterea quæ per seipsum exequi potest, non committat hæredibus, præsertim pro animæ suæ remediis. Si enim ipse pro salute sua nihil disponit, quomodo pro aliena præstabit: aliquid hæredes? Audiant quod refert noster Bened. Fernandus, in c. L. Gen. his verbis: « Mortuus quispiam est, qui summis in vita laboribus ac sudoribus copiosam

admodum filio substantiam reliquit: fætus quidem sibi blandiens, quod filium relinquebat divitem, qui et patris conscientie onera levaret, et animæ in purgatorio agenti per eleemosynas divinaque sacrificia opem ferret, atque adeo patris testamentum exequeretur integre. At miserum sua fefellit opinio. Filius quippe prorsus immemor patris, nec illius testamentum curavit, nec animæ vel unum sacrum aut obolum stipis erogavit. O plane saxum! O stipitem! O feram! Vicinus ergo, qui patri mortuo amicus fuerat, adolescentem objurgat, quod nullam defuncti patris, a quo amplum acceperat patrimonium, haberet curam, nullam omnino recordationem. Quid vero iste? Non patris, (inquit,) nemini, patris curam non habeo, nec tibi et quomodo agat, mea interest; nam si cælo donatus pater fruitur Deo, nullius a me indiget subsidii: si vero damnatus, apud inferos cruciatur, nulla jam est redemptio: frustra fient, quæcumque pro illius anima filius efficiam. Denique si lustralibus flammis in purgatorio torquetur, cum sit jam sempiternæ salutis omnino securus, patienter ergo sustineat, quoadusque salvus in cælum evolet. » Ecce vobis parentes, qui totum vestrum sudorem in filios effunditis, et pro vestram et animi nihil reponitis.

III. Domui alterius sæculi, uti spes est, celesti. De qua Eccl. c. XIV. ait: *Ante obitum tuum operare justitiam: quoniam non est apud inferos invenire cibum*, h. e. tempus bonorum operum aut meritorum comparandorum. Quando Josue transiturus erat cum populo Israel Jordanem, præcepit ei: *Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis*, Jos. I. Quando igitur tempus imminet, quo vestrum quis transiturus est ad alteram vitam, quid agendum nobis putatis? Nonne pro altera vita merita comparanda erunt? Ita enim explicat verba Josue Rupertus abbas in eum librum, c. VIII. « Præparate vobis cibaria, providete fructus dignos pœnitentiæ: thesaurizate fidem, comportate spem, reponite vobis charitatem. Hæc enim cibaria vitæ æternæ sunt. Post diem tertium transibitis Jordanem, id est, secundum negotium vel opus diei tertii, de morte ad vitam, de hoste ad amicum, de diabolo transibitis ad Deum. » Facit hoc, quod pius quidam episcopus matrem suam docuit seniculam et avaram. Invitavit eam ad cœnam, et ipsemet eam deduxit, sed nullo accenso lumine, cum jam ingruerunt tenebræ. Illa igitur a filio petit, ut curet præferri lumina. At filius, paulo post se curaturum ait, ubi ventum fuerit ad

fossam, arcto ponticulo transeundam. At illa : Quinimo, jam statim cura lumina : Quid enim, si inciderem in fossam, antequam feratur lumen? Et qui transibo eam sine lumine? Tum episcopus : Ita mater mea, bene dicis. Sed velim, ut tu etiam tibi sic consuleres, et mortui tue per eleemosynas, aliaque pia opera prospiceres, antequam ad fossam mortis, non sine maximo periculo transeundam, pervenias. Qui enim nosti, quam longe ab ea distes? Et quid si nunc incidas! Refert libellus dict. et fact. memorab. Sane Joseph patriarcha sibi et regi suo in tempore providit de annona pro septem secuturis annis sterilibus. Quod quia alii non fecerunt, postea gravissime luerunt, ita ut seipsos vendere Pharaoni in servitutem coacti sint, Gen. XLI. Ita famem futuri sæculi prævenit vir pius et doctissimus simul Jo. Gerson cancellar. Parisiensis, qui paulo ante obitum suum mille pauperes duxit ad summum templum Parisiis, D. Virgini sacrum, omnesque post distributam munificam eleemosynam in genua præcidere, atque hac communi voce aliquoties iterata divinam fecit interpellare misericordiam : *Miserere Domine Deus Gersonis servi tui.* Refert P. Chavassius, de prud. Christi, l. IV. Hoc idem suadendum esse morientibus docet S. Chrys. hom. LXXXIV. in Joan. « Cum quispiam mortuus est, (inquit) qui morturo familiaris est, illi comparet justa funebria, et discenti ægroto persuadent, ut indigentibus aliquid relinquat : cum his denet indumenta, Christum hæredem relinquet. Nam si reges, hæredes scribentes, familiaribus partem relinquunt in puerorum educationem : tum Christum cohæredem cum filiis tuis dimittis, intellige quantum tibi et illis concilias benevolentiam. Hæc sunt funera pulcherrima : hæc et remanentibus et obeuntibus proficiunt : si ita sepeliemur, in resurrectione clari apparebimus : quod si curato corpore animam neglexerimus, multa illic gravia perpetiemur, et multum ridebimur. Non enim parva est ignominia nudum et inopem virtutis hinc migrare, neque corpus insepultum projectum adeo ignominiosum videtur, ut anima tunc carens virtutibus : hanc vestiamus vestibus semper duraturis. Quod si in hac vita negleximus, saltem in morte nobis consulamus et ex rebus nostris nobis opem ferre per eleemosynam curamus : sic invicem mutuo auxilio adjuti futurorum fiduciam habere poterimus, gratiæ benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria simul et Spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen. » Ita S. Chrys.

Jamvero circa defunctum nostrum habemus, quod gratulemur ei de beato fine, cum sciamus

eum domui suæ de qua diximus triplici, bene ac provide disposuisse : interne quidem et spirituali, quia de conscientia si emendanda, et in tuto ponenda, comprimis fuit sollicitus, etc. Deinde in externa domo, et familia sua ita omnia composuit, ut satis omnibus faceret. Denique nec futuri sæculi, in quo domum æternitatis incolendam sibi sciebat, immemor fuit, præstanda ista et ista, etc.

CONCIO XXX.

IN DOMINO QUI MORIANTUR.

THEMA.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Apoc. XIV.

Inauspicatum omen apud gentiles erat, si quis forte in sepulcra incideret. Ita enim scribit Livius, l. XXX. Jussus e nautis unus ascendere in malum, ut specularetur, quam tenerent regionem, cum dixisset, sepulcrum dirutum proram spectare, abominatus est, h. e. pro malo omine habuit Hannibal. Sed quid mirum est gentiles, qui in præsentis tantum vita spes suas ponebant, sepulcri aspectu territos fuisse : non ita nos Christiani, qui sepulcrum non ut januam mortis, sed vitæ potius aspiciamus : adeoque non pro infausto, sed potius pro felici omine habemus, incidere in sepulcrum. Sic enim in nobis maxima verificatur, quod ait Job, cap. III. *Qui expectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint sepulcrum.* Solebant antiquitus thesauros recondere in sepulcra, tamquam ad loca diis manibus sacra, adeoque tuta. Ideoque thesaurorum effossores bene sibi ominabantur lætabanturque cum in sepulcrum incidissent, quasi reperturi in eo thesaurum. Hunc thesaurum quærimus non Christiani post mortem, ac propterea gaudemus cum ad sepulcrum accedimus, in quo thesaurum illum reconditum nobis esse bene ominamur; si modo in Domino moriamur. Ita enim ominatur nobis S. Joannes, Apoc. XIV. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* In Christo videlicet. Cæterum nunc quærat aliquis, quidnam sit in Christo mori, et quinam sic moriantur. Hoc igitur explanabimus. Notant ss. Scripturæ interpretes dictionem hanc : *In Domino*, varios in ss. litteris habere sensus, apud Cornel. a Lap. in canon. verb. ad epist. S. Pauli, can. XXVI. Aliquando enim significat, *in veritate vel jussu Domini* : alibi, *ad gloriam Domini* : non raro, *in gratia Domini.* Omnes isti sensus et moriendi modi boni omi-

nis sunt, reperturos thesaurum in cælo, qui ita moriuntur. Et

I. Qui non injussi, sed ad voluptatem et jussum Dei libenter moriuntur. Id enim si Cicer. l. de senectute credimus, Pythagoras etiam gentilibus præcipit : *Votat*, inquit, *Pythagoras injussu imperatoris*, id est Dei, *de præsidio et statione vitæ decedere.* Cui accedit S. Ambros. l. de bono mortis, c. II. « Christus Rex noster est, inquit, et ideo quod Rex jubet, deserere non possumus, et contemnere. Quantos imperator terræ hujus in peregrinis locis, aut honoris specie aut muneris alicujus causa jubet degere? Numquid hi inconsulto imperatore discedunt? Et quanto plus est divinis parere, quam humanis, etc. » Reperiuntur tamen subinde aliqui, qui injussi, imo et contra jussum Dei ex hac vita discedunt. Quales sunt imprimis, qui ex pusillanimitate et desperatione mortem sibi inedia, vel aliis modis aseiscunt. Quos redarguit Eccles. c. II. dicens : *Ne festines in tempore* (alii legunt, *in tempus*) *obductionis.* Quod explicat glossa interlinearis in hunc modum : *Ne fractus pusillanimitate tempus mortis exoptes.* Talibus enim responderi posset id, quod Bias cuidam ob liberorum amissionem invocanti mortem respondit : *Cur homo ipsam invocas? Nonne cizansi non vocaveris veniet?* Maxim. serm. XXXVI. Ignavi isti milites sunt; injussu enim imperatoris de statione fugiunt, uti etiam agnovit Aristoteles, III. eth. c. VI. *Mortem, inquit, sibi consciscere fugientem, vel inopiam, vel amorem, vel molestiam fortis animi magnique non est, sed angusti potius ac timidi.* Et certe Athenenses manum ejus, qui sibi mortem intulisset, abscindebant, et sepulto reliquo cadavere, insepultam relinquebant; quoniam ministra fuerat injustæ necis, teste Æschine, orat. in Ctesiphontem. Desiderant isti, et accelerant sibi mortem velut malorum finem, et incidunt in multo gravius malum, severissimi judicii divini et supplicii æterni. Quibus proinde dici posset id Amos V. *Væ desiderantibus diem Domini : ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebræ, et non lux.* Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus. Leo namque prostratis parcat, ursus in prostratos sævit. Huc etiam referri possunt, qui per intemperantiam cibi et potus vitam sibi abrumpunt, vel præcidunt. Et isti etiam stationem suam deserunt, ingenti suo periculo, præsertim cum in ebrietate moriuntur, ita ut Ecclesia vix permittat, ut pro iis oretur; in c. Audivimus de reliq. et vener. ss. Quisquis ad Assuerum non vocatus accesserit, certissimam ejus indignationem et vitæ periculum incurrebat, Esth. cap. IV. Atqui tales sane non vocati ad Deum

judicem intempestive pergunt, merito igitur ejus iram et periculum damnationis timere debent. Qui ergo in Domino mori volunt, mori parati sint; quando a Domino vocantur et mori jubentur, uti Moyses, qui cum audit a Deo : *Ascende in montem istum Aberim, et morere in monte,* (Deut. XXXII.) mox benedicto populo ascendit *et ibi mortuus est,* Deut. XXXIV. Ita filia Jephthe, quando audit a parente Deo in sacrificium esse devotam, non fugit a parente, sed post impetratas duorum mensium inducias stetit se ad jugulum, Jud. XI. Simeon quoque Senecio non nisi petita et obtenta a Deo licentia, per id : *Nunc dimittis servum tuum,* stationem hujus vitæ voluit deserere. Denique omnes illi huc pertinent, qui instante aut denunciata sibi morte paratos sese Deo sistunt, et quasi in holocaustum lubentes offerunt. Quo sane referendus est latro ille, qui a Zozimo receptus in monasterium, post novem annos pie exactos, habitum sæcularem a Zozimo repetiit, et obtinuit causam allegans; quia : « Aspicio, dicebat, sæpius puerulum adstantem et dicentem mihi : Cur me occidisti? Hunc autem aspicio in somnis, et in ecclesia! Et cum ad communionem pergo et in refectorio hæc eodem mihi dicentem : et vel una hora non sinit me quiescere. Ideo itaque pater abire volo ut pro querulo patiar. Frustra enim et sine causa occidi puerulum istum. Sumptis ergo vestimentis suis exiit. Et cum sic indutus pergeret tentus est, et sequenti die decollatus. » In prato spirit. c. CXVI. Placent etiam Deo, qui post male acta ad pœnas luendas Deo se sistunt, et moriuntur cum pœnitentia.

II. Qui mori potius eligunt, quam vel uno peccato Deum offendere. Ad quod imprimis parata erat casta illa Susanna; et quidem infami supplicio lapidari, quam peccare in Deum, Dan. XI. Facto ipsò præstitit mulier septies icta, quæ, ut scribit de ea S. Hieronymus, supplicium capitis subire maluit Verellis, quam mendacio se nocentem fateri; cum esset innocens a temerario juvene sceleris accusata. Idque decretum fuisse primis Christianis omnibus scribit Justinus, in apol. II. mori scilicet potius quam mentiri. Et sane hoc et aliis quibuscumque decernendum, cum ad rem iniquam provocantur. Cum ergo infirmo offerentur incantamenta vel remedia præstigiosa, eligat mori potius, sic enim : *In Domino morietur.* Satius est hoc pacto mori, quam deserere pietatem, inquit S. Chrys. l. V. cont. Judæos, orat. V. Ubi tales etiam assertit martyribus esse proximos. « Quemadmodum enim illi, inquit, præoptarunt cædi flagris, torquerique ut ad honorem pervenirent, ita tu quoque hodie